

1633 28²⁵ Martij

Ex MS Metices Regni

197

Summo Pontifici

Sanctissime etc. Petente Domino Parente meo. Concesserat Sanctitas Vestra ad Complures Annos Administrationem Abbacia Vachocens, Reverendo Joanni Lipski, tam Serenissime Regine Matertera mee Cancellario, nunc vero Referendario Regni, Quo ille munere publico auctus, cum in Aula mea pre- sto semper adesse, pro jure ac instituto Regni cogatur, nam et supplicibus libellis, junque mi- serabilibus Personis dicendo preest, et causas tam in Subsellio Regis Judiciorum Curialium quam in Supremo Comitio Regni refert, et advocat, ac in iisdem ferenda in Senatu Sen- tentia jus habet, Ea de Causa majorem in mo- dum à Sanctitate Vestra peto, ut eandem Abba- tie Administrationem ipsi ad vitam prorogare et concedere velit, qua ipse ita hactenus functus est, ut et Monastica disciplinam magna ex Parte antea labefactatam restituerit, et novis Edificijs Monasterium ornavit, et utilius absens, quam ple- nique presentes Curam Abbacie et Monaste- rij agat. Optime ergo Sanctitas Vestra illis consuluerit, unaque Viro de Ecclesia et Republi- ca preclarè merenti subsidium et Calcar addi- derit, si quod peto, speroque ejus cura, atque ad- ministrationi Abbaciam hanc ad vitam ex for- mula preterite concessionis commiserit, benignè indulserit, ne ad residentiam stringatur, ac ut fru- ctibus Abbacie in Subsidiis mei publicique Servitij liberè ac licitè uti possit, presertim

quod

62

quod Separatos habeat Conventus ipse ex auto-
ritate Sancte Sedis Apostolice redditus. Quo
nomine plurimum debebo Sanctitati Vestre
que non minus Mihi, quam rei Ecclesie hae
in parte commodabit, Quod reliquum est, me
Regnaque mea Sanctitatis Vestre paterne gra-
tie atque Apostolice benedictioni devotissime
Commendo. Datis Cracoviae die 25 Martij 1633.